



174.

1. Goubert, Joannes Fridericus: *Yissertationis jura. inaug. ad l. 13. §. finium regnum domum.*
2. Haeflerus, Johannes Jacobus: *De immunitate bonae fidei possessoris a restitutione fructuum in judicio seu reali quam personali.*
3. Trendelenburg, Aluffus Fridericus: *Specimen juris naturae extractus geminos imperatoris nationem*

1762.

1. Heinicke, Conradus: *De parentibus et fratribus ex lege 30 l. de inofficiorum testamento agere valentibus.*
2. Hoefler, Johannes Jacobus: *De Discrimine inter testamenti solemnitatem et prohibitionem ejusque usum practico.*
3. Mecker, Gregorius Ludovicus: *De mandato consilii ad statutum juris Lubecensis lib. III Tit. 10. art. novic.*

1762.

4^{ae} Paelike, Carolus Fredericus: De donatione simplici et
hereditatem paternam non comprehensa. 2 Saeppl

1763.

1. Frickius, Albertus Philippus: De numerorum et rerum
pretio legali
2. Haefler, Johannes Faculus: De vera natura et
intule juris non scripti occasione legis II. Cod.
quae sit longa consuetudo.
3. Mensching, Augustus Johannes Otto: De servitutibus
in genere et speciatim de servitute aeris ferri usum
legali juris Lubecensis
4. Orlich, Tim. Prael. Lund: De eo, quod iustum est
circa legatum pecuniae valore monetae post
testamentum emditum mutato.
5. Paelike, Carolus Fredericus: De erroribus quibusdam
circa quorundam inefficiorum testamenti.

Handwritten fragments on the left edge of the page, including characters like 's', 'n', 'l.', 'A', 'l', 'n'.

Faint, illegible handwritten text covering the main body of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



613 B



1761, 3
~~188~~
3/

SPECIMEN IVRIS NATVRAE
EXHIBENS
GENVINAM
IMPVTATIONIS NOTIONEM

QVOD
INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA CAROLINA
PRAESES
ADOLPHVS FRIDERICVS
TRENDELENBVRG

PHILOS. MAG. ET IVR. VTR. DOCT.

IN IVLEO MAIORI

PVBlice DEFENDET

RESPONDENTE

IOACHIMO ALBERTO BAY

HOLSATO LL. C.

A. D. XIII. APRIL. A. O. R. c^oloccclxi.

HELMSTADII

LITTERIS DRIMBORNIANIS.

STROMEN IARIS NATRAE

EXPOSITIO

GEN. V. M. M.

IMPVTATIONIS NOTIONEM

EXPO

IN UNIVERSITATE ACADEMIAE IN CAROLINA
IN UNIVERSITATE ACADEMIAE IN CAROLINA

TRASSIS

ADOLENTIVS FERDINANDVS

TRENDLENBURG

PHILOSOPHIAE DOCT.

IN VILLO MAIORI

TRASSIS

EXPOSITIO

IOYCHIMS ALBERTO BAY

NOTIONEM

IN UNIVERSITATE ACADEMIAE IN CAROLINA

TRASSIS

PHILOSOPHIAE DOCT.



ORDO DICENDORVM.

I. Praemissa instituti rationis explicacione §. I. & II.

II. in Tractatione ipsa

I) de Notione imputationis

1. ex mea sententia disputatur, ita vt

1) Notio eruatur

A. prima

A) Specialis Mathematicorum §. III.

B) Generalis inde deducatur §. IV.

C) Moralis imputatio seorsim definiatur §. V.

B) Dein ex praeuiis notionibus

A) Libertatis §. VI.

B) moralis §. VII.

C) Boni malique §. VIII.

D) Indifferentis §. VIII.

E) Perfectionis imperfectionisque moralis §. X.

plenior ulterior definitio conficiatur §. XI.

2) Post Formae (s. species) quaedam subiungantur §. XI. XII.

2. contra WOLFFIUM quaedam moneantur, ita, vt

1) Praeuia introductione §. XIII.

2) agatur

A. contra definitionem imputationis in genere, vbi

A) de libertate quaeritur

a. quenam illa WOLFFIO fit?

b. an sufficiat ad imputationem? §. XIV.

B) Quaeritur, an ea tantum, quae actiones consequuntur, imputentur? §. XV.

B. contra formas imputationis secundum WOLFFIUM §. XVI.

II) Quaedam Corollaria ex disputatis deducuntur. §. XVII.

III. Denique Conclusio adicitur §. XVIII.

ORDE DICENDORVM

I. Præmissis innotuit rationis explicatione §. I. & II.

II. in præmissis §. I.

D. de ratione innotuit

I. in not. rationis diffinitum, ita ut

A) Notio rationis

A. primum

B) Notio rationis innotuit §. III.

C) Notio rationis innotuit §. IV.

C) Notio rationis innotuit §. V.

§. V.

B) Notio rationis innotuit §. VI.

A) Notio rationis §. VI.

B) Notio rationis §. VII.

C) Notio rationis §. VIII.

D) Notio rationis §. VIII.

E) Notio rationis innotuit §. VIII.

§. X.

Notio rationis innotuit §. XI.

A) Notio rationis innotuit §. XI.

§. XI. II.

A) Notio rationis innotuit §. XI.

B) Notio rationis innotuit §. XII.

C) Notio rationis

A) Notio rationis innotuit in gen.

§. XII.

A) Notio rationis innotuit

B) Notio rationis innotuit §. I.

C) Notio rationis innotuit §. XIV.

B) Notio rationis innotuit §. XV.

C) Notio rationis innotuit §. XV.

D) Notio rationis innotuit §. XVI.

§. XVI.

B) Notio rationis innotuit §. XVII.

III. Notio rationis innotuit §. XVII.



§. I.
INSTITVTI RATIO.

Quod bene est ac sapienter a maioribus institutum, vt, qui cuperet in aliquo scientiarum genere scholas aperire, & docentis in aliqua arte provinciam suscipere, is exhiberet quoddam eiusdem artis, quam profiteretur, specimen publicum, idem nec a me negligendum esse duxi, quum ALMAM hanc IVLIAM CAROLINAM adirem, eo consilio, vt & in explicandis iuris ciuilis institutis & in philosophiae ratione atque praeceptis tradendis qualiumcunque virium mearum periculum facerem. Quare, quum iam differendum mihi esset de re aliqua ad philosophiam spectante, eiusmodi quam acquisivi potissimum, quae aut ex ipsis philosophiae adytis in iurisprudentiam manaret, aut haberet certe aliquam cum iuris nostri scientia adfinitatem. Quemadmodum enim semper cum legum studio ad summam meam vtilitatem coniunxi philosophiae disciplinam, neque id in discendi solum, sed & in docendi ratione feci, ita & his ipsis studiis meis aprum, temporibusque conueniens esse duxi, si quid pertractandum mihi sumerem ex hac philosophiae parte, quam & Iureconsulti sibi iure suo vindicare videntur, quia tradit iuris praecepta, quae sunt menti humanae a sapientissimo Creatore insita. Quae quidem philosophiae pars, tum ob ipsius in omni iure vtilitatem, tum ob singularem eiusdem prae aliis artibus eminentiam & dignitatem, ita maxime excolenda mihi videtur, vti est his, quibus viuimus, temporibus summis contentionibus inuoluta. Est autem in ea princeps,

vt mihi videtur, locus, vbi de imputatione quaeritur, qui & in primis vtilitate sua, quam praestat in omni iurisprudentia, egregie se commendat. Sed quum idem ille locus amplissimus, & quae ad eum spectant quaestiones & plurimae sint & grauissimae, placet statim ab initio definire id quod quaerimus, vt intelligatur, quid sit id, de quo omnis disputatio nostra futura est. Nam quum & summa, qua iam laboro temporis otique penuria multa persequi veter, nec instituti ratio ferat, vt totum hunc locum quasi amplissimum campum dimetiamur, id maxime agendum mihi duxi, vt ex his quaestionibus eam potissimum eligerem, quae & prima esset & ipsa grauitate sua se commendaret. Sed quod in omnibus doctorum hominum litibus & controuersis accidere solet, vt princeps de quaque re quaestio sit, quid sit id ipsum, de quo disputant, idem etiam in hoc loco euenire sentio, vt ideo ante omnia quaerendum mihi videatur, quid sit imputatio? Quam quaestionem quum iam mihi discutendam sumam, hanc mihi a VOBIS, HVMANISSIMI LECTORES, veniam peto, vt liceat mihi, de re grauissima disputanti, liberiore vti dicendi genere, quod non nimis ad ea, quae iam antea dicta sunt, restrictum sit, licet haec ipsa non nunquam pro veris certisque & indubitatis habeantur, non tam ob dictorum rationem, quam ob id ipsum, quod sint iam sexcenties dicta. Quod quum parum mihi conuenire videatur scientiarum studioso, qui in quaque re, quid verum sit, id maxime quaerere debet, a)

a) Spectat huc egregius T.V.L. LII locus Lib. I. de Nat. Deor. c. 5. quo hanc paginam iam exornem. Ait autem: Non tam auctores in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest

plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum videtur. Nec probare soleo id, quod

dandam mihi puto hanc veniam esse, vt quid de re quaque sentiam, id libere possim, & ita vt sentio, eloqui atque proferre.

§. II.

EADEM VLTERIVS EXPONITVR.

Quum vero omnis disputatio de recte formanda imputationis notione futura sit, in disquisitione hac rite instituenda id meum esse duco, quod in omni definitione ad Ius naturae spectante euoluenda obseruandum puto, nec sine summo huius scientiae detrimento non nunquam neglectum esse video, scilicet vt Iureconsultorum loquendi mos, qui legibus innitur, ad amissim obseruetur. Nam quae in logica, quam dicunt, arte de seruando in definitionibus communis sermonis vsu praecepta traduntur, ea adplicanda omnino sunt in his rebus definiendis ad Iureconsultorum loquendi rationem. Quoties enim de iure quaeritur & de rebus eo spectantibus, toties Iurisperitorum more loquendum esse non minus iustum mihi videtur, quam, quod quisque aequum esse concedere cogitur, si de qua re ad aliam artem spectante sermo est, verba ita adcienda sunt, vti fert mos loquendi eiusdem artis peritorum. Quare in hoc genere insigniter mihi peccare videntur, qui, quum in Iuris naturalis scientia notionem aliquam euoluere student, parum curant aut plane negligunt eam loquendi rationem, quam in Iuris nostri positivi scientia inuenimus, quasi testamenti, contractus, pactionis aliarumque rerum alia sit in Iure positiuo exhibenda notio. Qua in re adcedit hoc quoque molestum sane & plane incommodum iis, qui Ius naturae addiscere cupiunt, vt ignorent veram verborum vim ac potestatem, quum effectam illam significationem, cui dant

quod de Pythagoreis adceptimus, quos serunt, si quid adfirmarent in disputando, quum

ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos: ipse dixit,

dant in iure naturae locum, neque in communi hominum vita, neque in foro, nec in Iureconsultorum scholis probari videant. Quare, quod in omni explicatione notionum in iuris naturae scientia obseruandum esse existimo, vt quaeuis vocis cuiuslibet adceptio ex ipsis legibus nostris firmetur, & probetur, idem iam caueam, in hac quaestione a me negligatur. Neque vero quemquam fore credo, qui hoc vitio mihi ducat, quasi limites iurisprudentialis naturalis & ciuilis non bene obseruauerim, dum in quaestione, quae ad ius naturae spectat, prouocauerim ad Romanorum leges. Ad has enim, quasi fontes, etiam in iure naturae explicando recurrere necessarium duco, dum versamur in notionibus euoluendis, sicuti vtile mihi videtur dictamina sanae rationis ex veterum Iureconsultorum scriptis, vt testimoniis, illustrare.

§. III.

PRIMA NOTIO IMPVTATIONIS IN SENSV MATHEMATICORVM ERVITVR.

Sed quod addidit in omnibus fere loquutionibus & vocibus, quae in morum doctrina occurrunt, vt sint a rebus corporeis quasi ad incorporeas denominandas translatae, & ab iis rebus, quae in sensus incurrunt in morum doctrinam adsumtae, idem etiam in imputationis voce obtinere video. Est enim hoc vocabulum non artis nostrae domesticum, sed ab exteris quasi receptum & ciuitate nostra donatum. Quare, vt, quae sit huius vocis propria vis ac potestas, recte erui possit, originem ipsius & patriam indagare iuuabit, vt inde repetere possimus tum ea, ex quibus nata est, tum haec, quae sunt ipsi quasi cognatione quadam coniuncta, aut quae ad eiusdem fines adcessere. Est autem procul dubio Mathematicorum hoc proprium & solemne verbum, spectat-

ſpectatque ad rationes. Sicuti enim, quod GELLIUS a) docet, *putare* veteres dixerunt pro purgare, vt arbores & vites putari dicerentur, ita & rationes putari dictae ſunt, in quibus, vt VARRO b) ait, *ſumma ſit pura*, quod innumera docent veterum auctorum loca c). Sed quae haec eſt ſimplicis verbi adceptio, eadem manet etiam in compositis, quae inde deriuantur. Ita computare dicunt veteres hoc ſenſu, vt ad numeros & rationem ducendam pertineat d). Quare, quid naturalius poteſt, aut magis conueniens cogitari, quam quod & *imputare* hoc ſenſu dicatur, vt ſit ad rationes referre? Ita TACITVS e) *nec data imputant*, ait, *nec adcepta obligantur*. Sed ſi quis veterum locus hoc egregie docet, eſt ille QVINCTILIANI f) quem huius ſaeculi QVINCTILIANVS, Princeps artis criticae, GESNERVS, ex membranis reſtituit, vbi quis *litteras imputare & velut adnumerare* dicitur. Eſt igitur, vt diximus, imputare, aliquid tanquam partem referre ad ſummam aliquam, quare & Iureconſulti Romani in legibus noſtris frequentiffime hanc vocem in hoc ſenſu

a) in Noſt. Att. Lib. 6. c. 5.

b) de Lingua lat. Lib. 5. c. 7.

c) Ita CATO de Re Ruſt. c. 14. *tegulas duas pro una putari* dicit. CICERO in Orat. pro lege Manil. c. 13. *Quem poſſimus imperatorem aliquo in numero putare*. PLAVT. Aul. Ael. 3. ſc. 5. v. 52. *putatur ratio cum argentario*. Huc etiam illud FABII dictum apud SENECA de ira Lib. 2. c. 32. *ſpectare mihi videtur, quo, turpiſſimam ait Imperatori excuſationem eſſe: Non putauit, quali germanico idio-*

mate diceremus: *Darauf hatte ich nicht gerechnet, keine Rechnung gemacht.*

d) Abunde hoc adparet ex multis veterum locis quae ſolita, id eſt, ſumma cum induſtria collegit Illuſtris GESNERVS Fautor & Praeceptor ad cines vsque colendus in Theſ. ſub voc. computare, vbi de frequenti huius vocis vſu ad indicandum morem digitis numerandi.

e) *Hiſtoriar. Lib. I. c. 38. n. 3.*

f) *Inſtitut. Orat. Lib. XI. c. 3. n. 33*

sensu adhibere solent g). Ex quibus iam cogitur, nos dicere alicui aliquid imputare, quando ad summam aliquam, quam ipsi adscribimus & tribuimus, aliquid referimus quasi partem illius, ut ideo haec loquutio adhibenda sit, si indicare volumus, nos aliquid pro parte illius summae habere, quam alteri quasi suam tribuimus. Quo sensu **SENECA** h) *hoc non, ait, imputo in solutum de tuo tibi, & pari modo ICti nostri loquuntur i)*. Sed quum veteres Romani a verbo computare formauerint *computationis* vocabulum l) perinde ac *reputationis* vocem, idem significantem, ex verbo reputare effectam habemus, m) hoc dandum

g) Ita **ULPIAN.** in L. 22. pr. D. de pign. act. *si pignore subrepto, ait, furti egerit creditor, totum, quidquid percepit, debito eum imputare Papinianus conficitur.* Item in L. 26. pr. D. de condict. indeb. *Si non sortem quis, sed usuras indebitas soluit, repetere non poterit, si sortis debitae soluit, sed si supra legitimum modum soluit, D. Severus rescripsit, quo iure vitimur, repeti quidem non posse, sed sorti imputandum.* Et idem ille in L. 21. pr. D. de pecul. *summa cum ratione etiam hoc Praetor peculio imputabit, quod dolo malo domini factum est, quo minus in peculio esset.* Nec non in L. 1. §. 4. D. de tutelae & rat. distrah. *si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo, imputare eum posse, sed est verius, non, nisi perquam egen- ti dedit, imputare eum oportet*

tere de largis facultatibus pupilli.

h) in *Epist. 8.*

i) Revertor ad **ULPIANVM** meum in L. II. §. 23. D. de legatis III. ubi *cobaerediti* ait *debere sumtum pro parte eius imputari, & in L. I. §. 5. D. de tutelae & rat. distrah. si (tutor) munus nuptiale matri pupilli miserit, non eum pupillo imputaturum Labeo scripsit.* Iudem **MARCIVS** in L. 91. D. ad Leg. Falcid. late distputat, quid heredi in quartam hereditatis, quam per Legem Falcidiam habere debet, imputetur.

l) Quam vocem certe **PLINII** & **SENECAE** auctoritate munitam probat **GESNERVS.** Venit eadem etiam in legibus nostris, ut in L. 91. D. quam diximus.

m) Vid. **GELL. Noct. Att. Lib. 12. c. 5.** & pariter leges nostrae

dandum videtur Doctoribus, vt doctrinae & institutionis gratia simili ratione formarent imputationis vocem, licet veterum quidem castae latinitatis scriptorum auctoritate destituta videatur, & pro casta veterum ICtorum loquendi ratione rarius in legibus nostris inueniatur n). Hoc enim iure suo sibi sumere videntur, qui docendo scribendoque artes excolunt, vt si quae sunt notiones rerum, quae mente magis & cogitatione formantur, quam quod possint sensibus percipi ac tangi, eis nomina apta & congrua imponant, nova etiam, si alia desunt, quae ipsa, si ob nouitatem dura videntur, vsu mollienda sunt. Quare bene fecisse videntur mathematici, qui illam animi nostri cogitationem, qua iudicamus esse aliquid quasi partem ad summam aliquam referendum breuiter nec inconcinne vno verbo Imputationem adpellauerint.

§. IIII.

LATIORE INDE IMPVTATIONIS NOTIO
CONFICITVR.

Quum igitur hocce vocabulum proprium sit Mathematicorum & ad numeros & rationes spectet, dein vero a morum doctoribus in Philosophiam moralem translatum sit, facile perspicitur, factum hoc esse ita, vt vox illa

B 2 non

vt L. 19. D. Famil. ercisc. L. 48. D. de solut. & liberat. Reputaciones pro rationibus dicuntur in L. 11. pr. D. Vbi pupill. educ.
n) Occurrit in L. 82. D. de condit. & demonstr. vbi explicat CALLISTRATVS quomodo rationes sint reddendae, scilicet ita, vt primum legendae offerantur, dein computandae, vt explorari possit, imputatio-

nes probe, an improbe referantur. Qui locus unicus forte in hoc genere, omittis quidem est a BRISSONIO & HEINECCIO, sed effugere non potuit Augustus Illustris GERNERI in legibus nostris pariter ac in veterum auctorum classicorum libris, quid? quod in omni scientiarum parte, vt decet Polyhistorum sui nominis, versatissimi.

non plane suam naturam mutaret, sed relictam esse quam-
dam similitudinem eius quod in Mathesi significaret cum
hoc quod in morali designare deberet. Nam quum ver-
ba sint cogitationum notae, & maior sit cogitationum
quam verborum varietas, intelligitur, ita vocem aliquam
ad aliam rem denotandam esse aptissimam, vti res ipsa
maxime conuenit cum illa re, cui proprie vox adscripta est.
In hac autem ipsarum rerum, quae communi insigniun-
tur nomine, similitudine inuenienda & detegenda, est
quidem non nunquam aliquantulum difficultatis positum,
sed praeclarum inde etiam proficiscitur praesidium ad defi-
nitiones earum rerum, quibus idem nomen adplicatum
est, curatius formandas. Hanc enim similitudinem dum
inuenimus, habemus saepissime generaliore aliquam
significationem & notionem minus compositam, cui dein
si varias adplicationum rationes & quid in iis diuersum
sit subiungimus, tum possumus latius patentem eam no-
tionem in suas partes (*Species* hodie dicere solent) diui-
dere, vt appareat quasnam sub se comprehendat formas.
Quare, vt idem etiam fieri possit in euoluenda Imputati-
onis notione, reiiciamus ex hac, quam explicauimus, Ma-
thematicorum adceptione, id quod iis proprium est, id-
eoque in imputatione, non, quod arithmetici volunt, co-
gitemus singulos tantum numeros ad quos in vnam sum-
mam colligendos aliquid referendum sit, ad constituen-
dam hanc summam, sed cogitando quasi altius ascen-
damus, & quum in genere nobis plures res, qualescun-
que sint, mente praesentantes, iudicamus, esse aliquid
ad harum rerum numerum referendum, vt cum his con-
iunctim & vna sumtum vnum constituat complexum,
quasi summam, tum nos imputare hoc dicamus. Quare
iam imputatio quid est aliud, si in genere eam definire
lubet, quam iudicium, quo aliquid ad plura eiusdem
generis referimus, vt vnus inde complexus, vna quasi
summa constituatur. Hunc complexum plurium rerum
si

si alicui tribuimus, id quod ad eum complexum referimus *ipsi* imputare dicimur. Sed quum haec ipsa, quae cogitando ita inter se iunguntur, sint multiplicis generis, eadem ratione & ipsa imputatio multiplex erit. Quum vero summa haec sit in rerum omnium cogitatione diuersitas, vt nobis aut earum quantitates tantum cogitamus, aut has ipsas, quae quantitatem in se recipiunt eaque quae iis praeterea insunt, quarum considerationum altera est mathematicorum propria, altera cadit in alias scientias & artes, duplex inde conficitur imputationis genus, vnum scilicet quod est mathematicorum, de quo diximus, alterum quod iam nobis latius explicandum erit. Illam imputationem placet mathematicam dicere, hanc, si lubet generali nomine insignire, conuenire videtur non mathematicam eam adpellare, vt vim nominis in negando ponamus; nam infinita est earum rerum quae hic considerari possunt multitudo.

§. V.

PRIMA NOTIO IMPVTATIONIS MORALIS.

Ex infinita autem illa varietate, pro qua potest plurimum complexus cogitari, ad quem aliquid referimus illam potissimum sumamus considerationem, ex qua efficitur moralis imputatio, de qua iam omnis nostra disputatio futura est. Nam ille quidem locus multo latius patet, vt tot genera imputationis oriantur, quot possunt cogitari plura vario respectu in vnum collecta, ad quae quid referimus. Sed nos quaerimus tantum de Imputatione moralis. Huius autem primam quam dicunt Dialectici notionem ante omnia inuenire studeamus. Primam autem eam dicunt notionem, quae perhibet id, quod primum quasi est in mente nostra dum cogitamus rem illam, quae definiri debet, ita vt notio eiusdem rei nulla sit, quae prior dici possit.

possit a). Hanc autem quam diximus primam imputationis notionem hac via quam ingressi sumus commodissime nos inuenire posse videmur. Quare iam adplicemus quae dicta antea sunt ad hunc locum. Complexus ille, ad quem quid in morali imputatione referimus, consistit in statu morali. Quem quum enti intelligenti ascribimus, ipsi etiam moraliter quid imputare dicimur, dum adnumeramus quid complexui eorum, quae moralium ipsius constituunt statum. Quare imputationis moralis haec prima conficitur notio, quod sit iudicium, quo quid referimus ad statum alicuius moralem. Quam definitionem si vterius explicare volumus, primum videndum erit quid morale sit. In qua quaestione, quum prior veniat haec, quid liberum sit? primum hoc, quid liberum sit, deinceps illud, quid morale dicatur, persequemur. In hoc autem loco dicendum erit, quid bonum quid malum sit, & quid indifferens dicatur, vt ex iis perspicere possit, quid perfectionem & imperfectionem moralem constituat. Sed si qui forte sunt qui mirantur, me in hoc loco, qui vnice de imputationis definitione tractat, tam diu morari, eumque larius pertractandum mihi sumere, quasi quis sit, qui quid sit imputatio nesciat, aut qui quo magis id intelligat, definitionem aliquam desideret praeter hanc, quae dudum a philosophis excogitata & post WOLFFIUM, maximae famae Philosophum, ab omnibus fere communi consensu excepta est. Sed his quid respondeam in promptu est. Puto enim certe, neminem fuisse vnquam, nec esse iam, philosophorum aut Ictorum, qui non habeat imputationem satis firme conceptam animo & comprehensam, vt cum CICERONE loquar, b) sed

a) Sequor hac in re *Virum Summe Reuerendum, Clarissimum CRYSIVM* in Logica ipsius, quam inscripsit: *Weg zur Ge-*

wisheit und Zuverlässigkeit der menschlichen Erkenntnis §. 482.

b) Licet enim mihi, quantum possum,

sed si euolutam & omnibus numeris absolutam notionem & mente & verbis conceptam quaerimus, idem forte hic obtingit, quod in innumeris aliis rebus, quas integras quidem & complexas cogitamus et mente amplectimur, sed curate quae iis insunt cogitando fecernere & a se inuicem distinguere, eaque singula quasi euoluere non ualemus. Qui uero ad WOLFFII notionem prouocant, quasi omnibus numeris absolutam, iis uidetur respondi posse id quod, CICERO EPICURO obiicit, quum de uoluptate definienda loquitur c) quod potest quodammodo in WOLFFIUM adplicari, quum de imputatione definienda loquamur. Scilicet eum nescire quid sit imputatio, & in eo nutare, eumque qui crebro dicat diligenter oportere exprimi, quae vis subiecta sit uocibus non intelligere interdum quid sonet haec uox imputationis, id est, quae res huic uoci subiciatur. Sed ne a contentione ordiatur disputatio nostra, primum, quid ipsi sentiamus exponamus, deinde uero, ne quid deesse uideatur, proferamus quaedam, quae hac in re monenda nobis contra WOLFFIUM uidentur.

§. VI.

QUID SIT LIBERVM DISQVIRITVR.

Primum autem id quod quaerimus, quid sit liberum, quid libertas, difficile dictu est, & multis philosophorum contentionibus implicatum. Sed nec totum illum locum hic exponere mens nobis est, quin potius abstinentes ab omni contentione, quae ad rem nostram spectant, ea tantum breuiter tangamus. Disputari enim multa de libertate pos-

possum, latinius cum CICERONE loqui, quam sequi eos qui quum latina scribunt non latine scribere uidentur. Sed ne quid, quod putant multi, obscuritatis ex eo oriatur, dicamus,

nos hoc loco uoluisse idem dicere, quod nostri Philosophi dicunt concretam de aliqua re habere ideam.
c) *de Finib. Bon. & mal. Lib. 2. c. 2.*

possunt, quae tamen huius loci non sunt. a) Liberum autem id dicimus, in quo nulla est necessitas, vt adeo libertatem in genere dicere possimus, absentiam necessitatis. Quare quum in agendo duplex cogitari possit necessitas, aut quae ex ipsius entis natura oritur & per eam determinatur, aut quae constituitur extrinsecus & ab alio quodam in hoc ente perficitur, quarum alteram internam, externam alteram dicunt, ex harum absentia conficiuntur quoque duo genera libertatis, scilicet & internae & externae. Huius quidem variae possunt esse formae (*species* dicunt) quo inprimis libertas a Coactione, & a Subiectione pertinet, quae posterior iterum sub se continet libertatem ab Imperio, quo spectat libertas, quam Quiritium Romani dicunt, & libertatem a potestate, huiusque pars est (s. *species*) illa libertas, quae primum constituit Romanorum statum civilem. b) Sed de his libertatis formis hoc loco nobis sermo non est, de interna autem ea libertate quam diximus, agendum nobis erit potissimum. Quam quum definiuerim esse absentiam necessitatis in agendo internae, notionis huius vim non in negatione positam esse volui, sed quam maxime posituum illud esse existimo, quod libertatem constituit, licet notionem absentiae iunctam cum necessitatis notionem, quasi symbolum indicauerim, per quod id, quod in notionem ipsam posituum est exprimi & indicari possit, vt ideo qui secundum definitionem hancce sibi format libertatis notionem, symbolice, quod dicunt, eam cognoscere videatur,

a) Vtteriorem disquisitionem eius, quod de libertate quaeri solet, dedit, suo more, id est acutissime & solide conscriptam *Vir S. R. CRVSIVS*, quem, Principem huius saeculi philosophorum, honoris

caussa nomino, in *Ipsius Theologia*, quae praemissa est, *der Anweisung vernünftig zu leben* cap. 3. §. 37-57.

b) Vid. L. 4. D. de Statu homin. §. 1. 2. I. de iure personar.

deatur, c) quo facto, ipsa manet aliquid positivi, licet per aliam rem negatiue cogitaram exprimat in mente & indigetur. d) Sed si placet definitionem alio modo construere, ita, vt intueri quasi possimus in mente libertatem, & cogitare per id quod ipsa est, non per signum quoddam, fieri hoc etiam hoc modo potest, vt dicamus, libertatem internam, eam esse vim ac facultatem entis, per quam ita agit, vt si maluisset, potuisset etiam aut aliud, aut alio modo, aut plane non agere. e) Quare quidquid hac facultate in agendo praeditum est, id liberum dicitur eo sensu, quem *actiuum* grammatici dicunt, sicuti id ipsum quod a libertate illa proficiscitur, seu actio illa, quae libere suscipitur, libera adpellatur, in sensu, quem grammatici *passiuum* vocant. Quare, quae actio libera vocari debet, illa quatenus hoc nomen meretur, debet esse a libertate agentis profecta, ita, vt nec in ipso quidquam fuerit, nec extra eum, quod actionem illam determinaret, sed vt perinde potuisset etiam vel plane non, vel certe aliud quoddam agere. Nam in eo consistit vis libertatis, vt efficiat, agentem semet ipsam ad agendum determinare, sine omni necessitate adcedente. In omni autem actione, quae aut perfecta iam est, aut perficienda, duplex venit

c) Modo cognitionem Symbolicam eam intelligas, qua res non per id ipsum cogitatur, quod eam constituit, hoc enim est intuitiuae cognitioni proprium, quam ideo & alymbolicam dicunt, sed qua res cogitatur per aliud quoddam tanquam sui signum. Quod monendum duxi ob irreptam huius vocis abusuam adceptionem. Eregie, vt solet, hunc locum tractat V. S. R. CRV-

sivs in Log. §. 184.

d) Conferri possunt quae de simili definitione obseruat CRVSIVS in Log. §. 325. circa finem pag. m. 582.

e) Quare libertatem contrarietatis & contradictionis quas dicunt, distinguunt, in quarum priori potest aliud vel alio modo agi, in posteriori perinde agens etiam non agere potest.

C

venit eiusdem consideratio, altera est, qua quaerimus, an suscipere illam & perficere velimus, altera qua delibera- mus, quo pacto, hocne an alio potius modo, a nobis per- fici debeat. Illud genus ipsum existentiam actionis, hoc vero modum existendi tangere dicunt Philosophi. Actio autem, in qua cadit vtrumque deliberationis genus, vt liberum & in potestate nostra positum sit, & hoc, vtrum perfici an omitti debeat, & hoc, vtrum hoc an alio mo- do fieri eam velimus, ea dicitur ex omni parte seu per- fecte libera (dicunt *simpliciter liberam*). Imperfecte vero & minus plene libera (quam *secundum quid liberam* vo- cant) haec est, in qua alterutrum genus libertatis deficit, vt adeo respectu existentiae tantum libera sit, in qua in- tegrum nobis est, velle, vt sit vel non sit, non vero modum constituere quo fieri debeat, & contra, in qua modum hunc constituere possumus, quo perfici debeat, licet impedire non possimus, quo minus fiat, ea respectu modi, quo existit, libera tantum vocetur. Quare quid- quid libere sit, eatenus certe omnes excludit causas co- hibentes in se efficientiam naturalem, (quales CICERONI f) sunt, quas nostri dicunt *rationes determinantes*) licet fie- ri omnino possit, vt causae fortuito antegressae, sed ab omni necessitate efficientiae longissime remotae aduerint. Qui contra aiunt & statuunt, omnia fieri ex causis eius- modi necessariis, nec quidquam esse sine his, iis respon- det TVLLIVS g) *eleganter: Qui introducunt causarum seriem*

f) in Libro de Fato c. 9.

g) Loco, quem diximus. Sunt autem permulta in aureolo hoc libello ita disputata a CI- CERONE vt, si ea velis ad- hibere contra philosophorum huius saeculi opiniones, quas nouiter esse a se inuentas non nulli putant, vix aliud quid- quam agendum habeas, quam

vt ponas nostrorum philoso- phorum nomina in lo um E- PICVRI, contra quem ille disputat. Vide etiam de eo- dem argumento CRVSI di- spul. de usu & limitibus prin- cipii rationis determinantis, §. 7. sqq. quae auctor recula est in *Opuscul. Philosophico- Theologicis*,

seriem sempiternam, si mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati deuinciunt. Lubentes quidem concedimus fieri posse, ut, si quid libere agimus, sit aliquid quod ad agendum nos ducat, mentemque nostram ad hoc moueat, sed haec tum causa non est perfecta & principalis, sed adiuuans tantum & proxima, h) quae si ipsa non sit in nostra potestate, non sequitur, ut ne adpetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis & principalibus causis fieri diceremus, ut, quam hae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quam ob rem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adiungant, in eos valebit illa conclusio, qui autem causas antecedentes non dicunt perfectas, neque principales, in eos nihil valebit.

§. VII.

QVID SIT MORALE DEFINITVR.

Alter locus erat, ut diximus, (§. V.) qui de morali agit. Quare quum definiendum iam sit, quid morale sit, optime hoc nos docere posse ipse huius vocis inuentor videtur. CICERO enim primus ex tribus, quas faciebant veteres, philosophiae partibus a) illam, quae ad mores pertinebat, moralem dixit, quia hoc decere latinam linguam augentem aestimabat b). Quare, quum ipse profiteatur, se doctrinam hanc ita adpellasse, quia pertineret ad mores, morale in genere deinceps a doctoribus dictum est, quidquid ad mores pertinet. Mores autem quid sint QVINCTILIANVS c) docet, quum iis

C 2

omnes

h) Ita CICERO de Fato c. 18. secundum CHRYSIPPI philosophiam adpellat haec causarum genera, quas nostri malunt rationes determinantes & non determinantes adpellare.

a) Quas recenset CIGER. Acad. Quaest. L. 1. c. 5. & SENECA in Epist. 89.

b) CIC. de Fato c. 1.

c) in Institut. Orat. Lib. 6. c. 27. 8.

omnes habitus mentis continere dicit, quam definitionem firmant etiam leges nostrae d). Quare factum est, vt hodie Philosophis morale sit omne id, quod per liberam voluntatem perficitur, spectatque ad habitum mentis dirigendum e). Ita causae morales, praesidia moralia, quibus utimur ad obtinendum aliquid, quod mente fuit propositum, (media hodie dicunt) certitudo etiam moralis dicuntur. Quare intelligitur, omnia quae possunt aut per vires corporum & in genere ex necessitatis lege agentium effici, aut quae spectant ad mentis voluntatisque liberam directionem, ea recipere diuisionem in physica & moralia. Qua ratione diuidunt necessitatem in physicam & moralem, item possibilitatem, existentiam, & quae sunt plura huius generis. Quum vero mores in primis in agendo conspiciantur, actiones quoque potissimum morales dicuntur, & quidem in genere hae, quae pendent a libera voluntate agentium, quatenus per eam perficiuntur, contra vero, quae ex necessitate quadam interna producuntur, eae physicae audiunt. Sed quum in his actionibus liberis, possit considerari possibilitas & existentia tam physica quam moralis, eadem in specie morales dicuntur respectu possibilitatis & existentiae moralis. Moraliter autem possibile in genere id dicitur, quod ad voluntatem entis cuiusdam intelligentis relatum, ita comparatum est, vt fieri possit, seu vt ens illud hoc velle possit. Moraliter autem existere dicitur id, quod ens aliquod fieri vult.

Mora-

d) Vid. L. 13. §. 10. D. ad L. Iul. de adult. L. 15. §. 1. L. 39. L. 47. D. Solutio matrim. Hinc Actio de moribus, de qua L. vn. C. Theod. Victum civiliter agere & criminaliter posse (Lib. 9. Tit. 20) collat. cum L. vn. C. Quando civil. actio criminali praecidit. vbi con-

ferri merentur, quae notat GODOFRED. in Comment. ad d. L. C. Theod. Tom. 3 Editionis suae pag. 187. L. 12. §. 3. D. de administr. & peric. tutor. L. 43. §. 4. D. de aedilit. edict.

e) Vid. CRVSII Ethic. §. 161. & Ontol. §. 131.

Moraliter necessarium denique id est, quod per voluntatem alicuius entis intelligentis fieri debet, seu cuius contrarium repugnat huic voluntati. Itaque actiones liberae dicuntur morales in specie, quatenus ad eam earum qualitatem respicitur, vi cuius eadem vel fieri debent, vel omitti, intuitu voluntatis entis cuiusdam intelligentis. Quoties ergo quaeritur: vtrum actio quaedam fieri possit, aut debeat, toties ea vt moralis actio consideratur, in primis autem moralis haec dicitur consideratio, qua quaerimus vtrum per voluntatem legislatoris fieri quid possit aut non, in qua igitur id quod morale dicimus referimus ad voluntatem eius, cui ius est praescribere & constituere leges.

§. VIII.
 QUID BONVM ET MALVM SIT
 EXPONITVR.

Sed quid bonum sit, quid malum, quaeritur. Quae quaestio dudum fuit iam inter veteres controuersa & ambigua, sicuti & de eo hodie dubitant, vtrum detur tertium genus, quod nec bonum sit, nec malum, sed plane indifferens. Bonum autem & malum qui sic definiunt, quasi rebus ipsis, quae bonae malaeue dicuntur, insit, iisque quasi adhaereat, idque vnum tantum esse & simplex cogitant sine omni distinctione adhibita, hi in morum doctrina quod summum est, in virtute positum, plane negligunt. Quare haec omnia videntur curatius esse inter se distinguenda. Bonum autem, ab hoc enim definiendo incipiamus, id esse videtur, quod conuenit voluntati entis cuiusdam intelligentis. a)

C 5 per

- 2) Difficile quidem est significatus verborum tam late sumtos ex legibus probare. Nam quum notiones eiusmodi abstractas, quas dicunt, non inueniamus in legibus nostris, exemplis id fieri debet. Sed in quolibet exemplo de individuali specie fer-

per se nequit, sed tantum quatenus refertur ad voluntatem alicuius, cui id conuenit. Ideoque & ipsum bonum metaphysicum, de quo nobis hoc loco sermo non est, ita dicitur, vt generalis haec notio adplicetur, quum bonum eatenus esse cogitetur, quatenus in eo ea sunt quae eidem per voluntatem Dei ob ipsius naturam physicam inesse debent. In actionibus autem, si quaeritur quid bonum sit, de quo bono hoc loco agendum est, intelligitur quidquid in hoc genere bonum dicitur, id debere duorum fontium oriri ex aliquo. Actio enim vel refertur ad voluntatem ipsius agentis, vel ad voluntatem eius, cui ius est dirigendi actiones alterius. Quae actio conuenit ipsius agentis voluntati liberae, ea physice bona dicitur, quae vero superioris voluntati de dirigendis actionibus liberis conueniens est, ea moraliter bona dicitur. Ideoque moraliter bonum est, quod legibus conuenit b) physice vero bonum dicitur, quod nostrae ipsius voluntati conueniens est. c) Hoc volumus, quia placet, hoc est

sermo est, in qua praeter generalem illam notionem adcedunt & aliae qualitates. Attamen spectare hic videtur locutio ICtorum, qua *bona gratia* id fieri dicunt, quod sit ex consensu eorum quorum interest, quo sensu occurrit in L. 6. D. de diuort. L. 32. §. 10. & L. 62. D. de donat. inter vir. & vx. Nov. 98. c. 2. §. 2. & explicata est in Nov. 140. praefat.

b) Quo sensu bonum frequentissime in iure nostro venit, ita *bona fides* dicitur L. 23. D. de Reg. iur. *bona causa* L. 73. D. de iudic. *bonus vir* L. 12. D. v.

fructuar. quemadmod. cau. qui quis dici mereatur egregie explicat HORAT. L. I. Epist. 16. v. 40. scilicet is: *qui consulta patrum, qui leges iuraeque seruat. dolus bonus* L. 1. §. 3. D. de dolo malo.

c) Hoc sensu *bonum consilium* dicitur L. 1. §. 3. D. de seruo corrupt. *bonis conditionibus* entum l. 54. D. de aedilit. edict. *bonum nomen* L. 1. D. ad Sct. Maced. Vid. etiam CIC. *Epist. ad famil. L. 5. Ep. 6.* Ita huc etiam, spectat *Bonorum* denominatio cuius etymologiam exhibet l. 49. D. de V. S. quam

est, quia vel appetitui a natura nobis insito convenit, vel quia ducit nos ad ea quae consequi mente nobis proposuimus. Ad illud appetendum impellimur naturali instinctu, qui tamen per liberam voluntatem nostram dirigi debet, ad hoc spectant regulae prudentiae. Illud autem quod moraliter bonum est, non quia nobis placet, sed ideo quia praeceptum ab eo est, qui actiones nostras dirigendi ius habet, velle & adpetere debemus, quo sensu bonum per se expetendum esse recte dicitur. Quae quum ita sint, intelligitur, nos in definiendo bono sequutos esse ipsam naturam, communemque hominum sensum & morem loquendi. Quibus ita expositis explicauimus paulo vberius, quae TULLIUS noster in definitione sua contraxit & breuiter proposuit, qui quum bonum definitione explicet, id cum DIOGENE dicit d) esse *id, quod est natura absolutum*. Quod si forte obscurius dictum videatur, declaratur ex eo, quod ait: *quum ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus ad colationem rationis, tum ad notionem boni peruenit*. In quo loco explicando diutius commorari vetat breuitas, cui studemus e). Quod vero ille *praepositum* dicit f), de quo & infra plura dicemus g) id idem esse videtur cum eo quod nos diximus bonum physicum. Is enim de bono loquens, intelligi de morali debet h). Quibus ita expositis & comprehensis, de malo seorsum disputare superuacaneum videtur. Neque vero quisquam ignorat, ma-
lum

quam denominationem ex no-
tione moraliter boni deriuari
posse negat CICERO. *Parad. 1. c. 1.*
Huc etiam spectat sollempnis
illa formula: *Quod bonum
faustum felixque sit*, quod ad-
paret ex explicatione OVI-
DII L. 3. Fast. v. 27. vbi ita:
Vale sit, faustumque precor.

d) *Lib. 3. de Finib. Bon. & mal.*
c. 10.

e) Quid per naturam intelligat,
vberius explicat L. 5. c. 12. sqq.

f) *de Fin. B. & M. L. 4. c. 26.*

g) Vid. §. sq. in fine.

h) Quod satis docet ipse *Para-
dox. 1.*

lum id dici, quod est bono e diametro oppositum, ideoque contraria ratione id explicandum esse per se intelligitur. Pariter adparet, duplex etiam genus esse mali eius de quo hic disputamus, alterum physicum, quod malum ideo dicitur, quia repugnat ei, quod nosmet ipsi volumus, morale alterum, quod contrarium est voluntati eius, cui obedire tenemur. Malum autem, quod doctrinae causa dicunt metaphysicum, & in eo consistit, quod aliquid non conveniat fini illi naturali, cui est a summo Creatore dicatum, hoc loco considerandum non venit.

§. VIII.

QVID SIT INDIFFERENS QVAERITVR.

Sequitur hoc, quod quaeritur, ut diximus, utrum inter utrumque, bonum scilicet & malum detur aliquid medium, quod nec bonum possit, nec malum dici, sed indifferens. Quod quum adfirmandum putemus, paullo ulterius videndum erit, quid sit indifferens. Indifferens autem primum dictum id est, quod non differt ab alio. Est enim ἀδιάφορον illud quod Graeci dicunt a) & perinde a differo dictum uti illud a διαφέρω, ut indifferens igitur sit, quod aequale est, quo sensu etiam vocem *indifferentiae* b) & *indifferenter* c) occurrere inuenimus. Quod si igitur quid indifferens dicitur, quod est quasi medium inter duo extrema positum, hoc ita adciendum est, ut tale sit, quod siue ad vnum, siue ad alterum referatur, differentiam in neutro constituit. Itaque si ad moralia hanc notionem applicamus, duo extrema sunt; alterum, quod per voluntatem alicuius requiritur, alterum, quod eidem plane

a) CIC. de Fin. Bon. & Mal. Lib. 3. c. 16.

b) GELL. in Noct. Att. Lib. 13. c. 3. Hacc, inquit, ego scripsi de utriusque vocabuli indiffer-

rentia.

c) Vid. L. 1. §. 3. D. de Officio quaestor. L. 10. D. de custod. & exhib. reor.

plane repugnat. Illud bonum hoc malum constituit, & quod inter vtrumque intercedit, ita vt per voluntatem entis cuiusdam intelligentis nec requiratur, nec eidem repugnet; id indifferens dicitur, ideoque indifferens tum est, quod nec bonum nec malum est d). Sed potest & alio modo notio indifferens erui, vt re vera maneat eadem quidem, licet alia via eruta sit. Nam si bonum in genere dicimus paullo latius adceptum, quod non repugnat voluntati cuiusdam entis intelligentis, possumus huius nobis duas concipere formas, (*Species dicunt*) quarum altera est positue bonum, quod stricte etiam bonum dicitur, & conuenit cum eo, quod supra definiuimus, altera negatiue bonum, quod tum idem est cum eo, quod indifferens diximus. Vtraque via euoluendi hanc notionem sua se commendat utilitate, modo qui posteriorem eligit caueat, ne bonum negatiuum confundat cum bono positiuo, aut putet indifferens magis in bonum, positiuum scilicet, quam in malum inclinare, quum ab vtroque pari modo distet e). Si primam euolutionem sequimur, statim adparet, indifferens esse duplicis generis, perinde ac bonum & malum, inter quod medium intercedit, primum, quod medium constituit inter bonum & malum morale, ex quo tum oritur id, quod ius liberum constituit, alterum hoc est, quod inter bonum & malum physicum intercedit, quod duorum fontium oritur ex aliquo, scilicet vel refertur ad id, quod per adpetitum a natura nobis insitum aut cupimus aut auersamur, vel ad id, quod fini cuidam ex libera voluntate nobis proposito conuenit aut repugnat. Illud indifferens est ratione adpetituum naturalium, qui scilicet id nec desiderant nec fugiunt, hoc respectu regularum prudentiae indifferens dici

d) Ita & SENECA *Epist. 83. in differentia vocat nec bona nec mala.*

e) Vid. V.S.R. CRVSII *Ethic.* §. 187.

dici potest. Haec sufficiant ad explicationem loci per se quidem non obscuri, modo adiciamus tantum quae TULLIUS noster de hac re subtiliter philosophatur. Ita autem differit f): *Quoniam omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est nec bonum esse, nec malum hoc quod praepositum vel praecipuum nominamus. Itaque id definimus, quod sit indifferens cum aestimatione mediocri, quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem.* Quemadmodum vero CICERO si de bono loquitur, intelligit morale quod dicimus, ita indifferens respectu huius etiam dicit, quod moraliter indifferens est, quod hoc modo etiam a SENECA adcipitur g). Sed praeposita illa dixit CICERO quae sunt physice bona doctrinae causa a nobis dicta h) auctoritate, *Viri Summe Reuerendi CRYSII* i). Licet enim illud a CICERONE inuentum nomen latinus videatur, nec nos amplius decere videatur linguam latinam augere, tamen verebar, ne nomen inusitatum hodie quidquam haberet obscuritatis certe iis, qui magis hodierno philosophorum loquendi modo, quam CICERONIS philosophi orationi adfueri sunt.

§. X.

DE PERFECTIONE ET IMPERFECTIONE
MORALI.

Supereft de perfecto quaestio. In perfecto autem definiendo non satis mirari possum, quo factum sit, ut in tam alienas partes detracti sint nostri Philosophi, tamque vehementer a vero aberrauerint, ut in re, quae non adeo difficilis videtur, summis se implicarint difficultatibus. Ego vero, ne nimis nouitatis studio trahi videar ad contemnenda ea, quae noua sunt, quia adsunt alia magis noua, per-

f) de Fin. Bon. & mal. l. 3. c. 16.

g) in Epistola quam diximus 83.

h) Patet hoc non modo ex ipsis
his verbis, sed etiam ex ex-

emplis adiunctis & ex alio loco scilicet Lib. 4. de Finib. c. 26.

i) in Metaph. §. 199. Thelematol. §. 26.

perfectum me id dicere & ita definire probabo, vti veteres dixerunt, & omnes etiam, vt puto, cogitant, licet interdum recte cogitata, nec polite nec curate satis eloquuti sint. Perfectum autem id omnes consentunt esse, cui nihil deest. Ita enim CICERO a) summum & perfectissimum iudicat, cui nihil addi potest. Nihil autem deesse aut addi posse dupliciter dici potest, aut quia omnia omnino adsunt, quae adesse fingi cogitarique possunt, idque tum perfectissimum, quasi absolute perfectum dici potest, quale cadit praeter Summum Numen in neminem, aut quia ea certe adsunt, quae ad id quod iam intenditur, (*finem dicunt*) requiruntur, & hoc ipsum potest aut id esse, propter quod quid comparatum est, (*finem essentialem dicunt*) aut aliud, quod praeterea certam ob rationem in eodem requiritur, (*finem accidentalem vocant*). Quare videmus perfectum recte dici, b) *quod aptum vndique est, expletumque omnibus suis partibus & numeris*, ex quo & illud intelligitur, quod frequentissimum est in loquendi vsu, quod perfectum opponatur ei, quod inchoatum est c). Sunt enim haec omnia adfina inter se, & manant ex eodem fonte d). Ipsa autem *perfectionis* vox ambigua esse videtur. Nam praeterea quod perfectio actum aliquem denotet

D 2 tet

a) in Oratore c. 1. n. 3.

b) a CICERONE in Lib. 2. de Nat. Deor. c. 13.

c) Ita CIC. de Clar. Orat. c. 33. de GRACCHO ait, *manus extrema nondum adcessit operibus eius, prae laere inchoata multa, perfecta non plane*. Vid. etiam *ibid.* c. 18. item de Nat. Deor. Lib. 2. c. 35.

d) Ita hominem etiam respectu doctrinae perfectum dicit CICERO, vti de Clar. Orat. c. 30. *prope perfectus in Stoicis ibid.*

c. 34. *perfectus Epicureus*. Denique & hoc quasi praetereundo moneam *Perfectissimi* adpellationem olim fuisse dignitatis nomen, de quo egregie GODOFREDVS ad Tit. C. Theod. de perfectissimatus dignitate (Lib. 6. T. 37.) in Tom. 2, Editionis suae pag 244. sqq. Comparat eum cum dignitate egregiatus ad L. 1. C. Theod. de honorar. Codicill. (Lib. 6. T. 22.) Tom. 2. p. 117. in f.

ter & susceptioni opponatur e) aliam quandam vocis huius ambiguitatem, pro solita sua in rebus subtilissimis perspicientia ingeniique vi & acie, obseruat *Vir Summe Reuerendus Clarissimus CRVSIVS* f) Philosophus perfectissimus, omni mea laude maior, quem vt in aliis, ita quoque hac in re ducem praestantissimum grata mente sequor. Perfectionem scilicet quam enti tribuimus, vel ita intelligimus, vt omnia ea sub se comprehendat & quasi amplectatur, quae in ente aliquo desiderantur, vel ita, vt aliquid ex his omnibus indicet, quo adcedente ente alicui aut plane nihil aut certe multo minus deficit. Rem diuersam etiam nomine per adiectionem diuerso insignire solent Philosophi, vt illam in scholis dicant *subiectiue*, hanc *obiectiue* sumtam perfectionem, quae adceptiones facilius distinguuntur in idiomate germanico g). Quum vero perfectionem, praeter summam illam, quae soli Deo competit, cogitare nullam possimus, nisi respectu finis cuiusdam, qui adesse concipitur respectu illius entis, cui perfectio tribuitur, patet, vt quoduplex ille finis fingatur, totuplicis generis possit ipsa perfectio esse. Quare formant Philosophi perfectionis diuisionem in essentialem, & adcidentalē h) illam dicentes principalem, quae respicit naturam ipsam entis de quo agitur, hanc vero adpellantes, quae fortuito adest, seu praeter id, quod per ipsam entis naturam requiritur, adesse concipitur. Hoc geuus

e) Vid. CIC. *Ora pro Marc. c. 3.*
Ita eleganter quoque de *Fin.
bon. & mal. L. 3. c. 9. Quae proficiuntur*, ait, *a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt iudicanda.*

f) Vid. eius *Metaph. §. 180.*

g) Vbi haec distinguimus per articulum, quem dicunt, quum definitum adiungemus perfectioni subiectiue sumtae, eam

dicentes: DIE *Vollkommenheit*, & articulum vnitatis adponamus perfectioni in sensu obiectiuo, eam dicentes: EINE *Vollkommenheit.*

h) Vid. CRVSII *Metaph. §. 182.*
& *Dissert. de appetitibus inferioris voluntatis humanae §. 13. sqq.* quae est recusa in *Opusculis Philosophico-Theologicis.*

genus infinitam sub se comprehendit perfectionum multitudinem pro infinita varietate finium, secundum quos nos perfectiones metiri diximus. Quo spectat in primis illa perfectio quae potest enti intelligenti tribui, quatenus ea eidem insunt, quae ex propriis ipsius finibus fluunt, spectantque ad bonum physicum, eamque perfectionem moralem in sensu lato dicere possumus, quatenus ad liberam voluntatem entis intelligentis spectat, peculiari vero nomine perfectionem prudentiae adpellamus. Sed primum genus perfectionis, quod ad ipsam entis naturam spectat, si cadit in eiusmodi ens, quod est ratione & intelligentia ac libertate praeditum, duas potissimum in se recipit formas, quarum altera spectat naturae ipsius physicae constitutionem, quam ideo etiam physicam dicunt, quae tendit ad id quod Deus per ens illud citra libertatem consideratum intendit, eaque communis est hominibus non modo cum bestiis, sed etiam cum rebus inanimatis, altera fluit ex fine morali, ad quem consequendum ipsum illud ens est a conditore rerum cum libertate procreatum, eaque perfectio moralis est, de qua iam loquimur. Finis autem is, quem quasi extremum in creandis entibus ratione praeditis Summum Numen intendit, est procul dubio in virtute colenda positus. Ad eam enim nos sumus a summo rerum creatore formati, ob eamque ipsam haec omnia, quae in hoc vniuerso continentur, creata sunt. Qua in re habemus ipsum CICERONEM doctorem, qui hac de re ita disserit i): *Animam autem reliquis rebus ita perfecit (natura) ut corpus. Sensibus enim ornauit ad res percipiendas idoneis, ut nihil, aut non multum adiumento vlllo ad suam conformationem indigeret. Quod autem in homine praestantissimum atque optimum est, id deseruit, etsi dedit talem, quae omnem virtutem iam adcipere possit, ingenuitque sine doctrina notitias paruas rerum maximarum & quasi instituit docere, & induxit in ea, quae inerant, tanquam elementa*

D 3

i) Lib. 5. de Fin. bon. & mal. c. 21.

menta virtutis, sed virtutem ipsam inchoavit, nihil amplius. Itaque nostrum est, ad ea principia, quae adeptimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus, effectum, quod quidem pluris sit haut paullo, magis ipsum propter se expetendum, quam aut sensus aut corporis ea, quae diximus, l) quibus tantum praestat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit m). Quibus, quae iam nostra facimus, ita disputatis a TULLIO nostro ut nec elegantius quidquam, nec aptius concinniusque possit, nec, quod maximum est, magis verum cogitari, facile, ut puto, intelligitur, perfectionem moralem quam subiectivam diximus, consistere in eo, quod quis haec omnia possideat, quae requiruntur ad virtutem colendam, ad quam sumus facti formatique. Quidquid vero est in aliquo ad id comparatum, ut virtus ei tribui possit, id perfectionem ipsius constituit moralem obiectivae sic dictam. Quibus ita expositis de imperfectione eiusque definitione, divisione, & formarum generibus vberius disserere opus non esse videtur. Nam quae sunt de perfectione dicta, ea, quod & ipsum nomen indicat, contraria ratione sunt de imperfectione praedicanda, quod & facillimum est, & taediosum foret, hoc loco pluribus persequi.

§. XI.

PLENA EX HIS CONFICITVR NOTIO IMPVTATIONIS MORALIS.

Quae quum ita sint a nobis exposita, vti sufficere videbantur, licet potuissent copiosius explicari, iam putamus id fieri posse, quod propositum erat, ut scilicet curatam aptamque & rectam formaremus notionem imputationis, quam moralem dicunt. Plenior autem haec notio

l) a capite inde duodecimo Libri, quem diximus.

m) Conferri cum his merentur

quae disputat CICERO de hac re in L. 2. de Nat. Deor. c. 12. 144. n. 33-39.

notio ex his quae disputata a nobis sunt, ita formanda videtur, vt omnia, quae diximus, in vnum quasi contrahantur, ex quo ipso adparebit, vtrum haec sint apta vndique recteque inter se connexa. Omnis autem imputatio, aliter fieri, quam iudicando, nequit, nihil enim certius est, quam iudicium nos ferre tum, quum alteri quid imputamus. Moralis autem imputatio inde dicitur, quia de moralitate iudicamus, sed quum morale id dixerimus, quod liberum est, quatenus non indifferens est (§. VII.) intelligitur, imputationem esse iudicium quo quid liberum non indifferens esse aestimamus. Sed quod non indifferens iudicamus, id debet vel bonum esse vel malum (§. VIII.) adeoque dum imputamus alicui aliquid, quod liberum est, id referimus vel ad bonum vel ad malum. Quidquid vero liberum est & bonum hoc ipsum constituit perfectionem moralem in genere sic dictam in ente aliquo, sicut liberum quid, quod malum est, constituit in perfectionem moralem. (§. X.) Adeoque in imputatione morali referimus aliquid quod liberum est vel ad perfectiones vel ad imperfectiones morales alicuius. Sed quum iudicium, quo perfectiones alicui tribuimus laus dicatur a), & vituperatio, quo imperfectiones de aliquo praedicamus, b) intelligitur, imputationem quoque moralem duplicis esse generis, alteram, qua aliquid ad perfectiones morales alicuius referimus, alteram, qua imperfectionibus eius, quid ad censendum iudicamus, vt ideo aliquid vel laudi alicui vel vituperio imputare dicamur. Qua in re fieri posset, vt quis putaret, pro nostra definitione vnum idemque esse laudare aliquem, & ipsi aliquid laudi tribuere, quod pari ratione etiam de vituperatione & imputatione in vituperium dici posset. Sed interest omnino multum. Nam laudare aliquem possumus ob quamcunque perfectionem

a) Vid. c. c. *Lib. 1. ad Q. Frat. Ep. 1. n. 13.*

b) Sic laus & vituperatio sibi

opponuntur c. c. *ad Famil. L. 13. Epist. 73. in Edit. Gronov. aliis nonnullis Epist. 74.*

tionem, veluti ob corporis habitum, oris pulcritudinem, vocis grauitatem aut iuuuitatem, sed haec ipsi imputari moraliter dici non possunt, quippe quod genus imputationis requirit semper perfectiones morales certe in sensu lato sic dictas, quae a libertate entis intelligentis profiscuntur, quod simili ratione valet etiam de imputatione in vituperium, quae vnice in imperfectionibus moralibus locum inuenit, licet quis possit etiam aliam ob causam vituperari. Sed haec diximus de imputatione quae spectat ad perfectiones & imperfectiones quae in sensu latiore dicuntur morales. Sed harum perfectionum & imperfectionum moralium potissimum genus est praecipuum, quod intuitu legum tribuitur enti intelligenti, ex quo manat imputatio in virtutem & vitium, quod quidem imputationis genus, quam proprium sit iure consultorum, vniceque ad leges spectet, dicamus *imputationem iuris*. Haec igitur imputatio, de qua potissimum quaerimus, si plenius definiiri debet, videtur iudicium esse, quo iudicamus aliquid ad perfectiones aut imperfectiones morales stricte dictas seu ad virtutes vitiave cuiusdam esse referendum. Quum vero aliquid perfectionem moralem alicuius ne quidem in lato sensu innuere nequeat, nisi a libertate interna eiusdem profiscatur (§. X.) intelligitur, vltterius in definiendo nos progredi posse, vt imputationem iuris dicamus, iudicium, quo quis causa libera declaratur alicuius, quod in perfectiones aut imperfectiones eius morales stricte sic dictas influit, seu respectu legum non indifferens est. Quare patet, ad omnem imputationem iuris nos duo requirere, quorum vnum est in eo positum, cui quid imputari debet, id quod consistit in libertate interna, (§. VI.) alterum spectat ad id ipsum, quod imputari debet, id quod non modo morale in genere (§. VII.) adeoque vel bonum vel malum (§. VIII.) nec indifferens (§. VIII.) esse debet, sed constituere etiam perfectionem vel imperfectionem ratione legum

legum, quam moralem in sensu stricto dicunt (§. X.). Hoc vltimum, quod diximus, constituit quasi notam *καταρεστικην* imputationis iuris, reliqua omnia in quacunque imputatione in laudem & in vituperium itidem requiruntur. Nam si reuertimur iam ad omnium primam, quam dedimus, imputationis notionem (§. III.) eique haec adplicamus, videmus, nos, dum alii quid imputamus, quasi ad arithmeticorum exemplum procedere. Nam sicuti arithmetici computando aestimant fortunas cuiusdam, ita nos imputando, aestimamus bona ipsius moralia. Sed arithmetici in hac computatione instituenda, ad vtramque paginam constituendam, solent duo genera constituere, alterum datorum, adceptorum alterum, quorum illud comprehendit ea, quae patrimonium minuunt, hoc complectitur ea, quae illud augent, vtrumque vero ad vnam aestimationem per communem valorem monetae cuiusdam reuocant. Eodem quoque modo Iureconsulti vnam paginam constituunt eorum, quae augent bona moralia, eaque veniunt perfectionum nomine, alteram eorum, quae bonis hisce quid detrahunt, eaque sunt imperfectiones, vtrarumque vero gradus secundum communem aliquam mensuram constituunt. Quodcunque vero aut liberum non est, aut certe indifferens, illud potest ad neutram paginam referri, nec magis computandum venit ad augendam summam, quam arithmeticorum signum quo nihilum indicant, quidquam potest in rationibus immutare.

§. XII.

DE IMPVTATIONE IN POENAM ET

PRAEMIUM.

Quum imputationem iuris sequatur poena aut praemium, indeque etiam ipsa imputatio dicatur philosophis vel in poenam vel in praemium fieri, placet etiam hanc diuisionem breuiter explicare. Poenam autem in doctrina

E na

na de moribus a) dicimus malum quodcumque physicum, quod ob moralem obligationis violationem alicui inferitur b). Malum autem illud aut est naturale eius violationis confectarium, aut ex libera voluntate constitutum. Illud poenam, quam dicunt naturalem, constituit, hoc poenam positivam in genere vocant, quae aut potest legislatoris voluntate constituta esse, aut conventionem determinatam, illa poena *κατὰ φύσιν* etiam dicitur, cuius pars (*speciem* dicunt) est poena legitima, quae singulari lege sancita est, c) haec poena conventionalis adpellari solet d). Praemium autem est id, quod poenae est e diametro oppositum, licet latius pateat, omnemque remunerationem sub se comprehendat, non tantum eam, quae ob expletionem officii datur. Itaque ex his patet, imputationem ob haec, quae eam sequuntur, in poenam & in praemium dici. In quo loco id potissimum quaeritur, quod breviter tangamus, ex quo oriatur obligatio ad poenam subeundam. Sed interest, utrum poenam cogites a superiore sancitam, an conventionem poenali constitutam. Illa danda est ex superioris voluntate, per quam constituta est. Nam ipsa poenae sancitio lex esse videtur, quare necessitas ad subeundam illam non potest ex lege non oriri. Sed si quae facta est poenalis conventio, ex ipsa conventionem oritur obligatio ad poenam. Itaque haec obligatio adparet ex consensu esse, ut tamen eam non ita oriri putemus, quasi is, qui in obligationis violationem consentit, simul etiam consentiat in poenam subeundam, sed hoc modo, ut ad poenam quis obligetur, quia fecit id,

a) Interdum enim poenam latius pro quovis malo aut dolore dici, variis exemplis ex FLINIO probat *Illustris GERNERVS* in thesauro sub hac voce n. 5.

b) Vid. L. 131. D. de V. S.

c) L. 1. §. 3. D. ad Sct. Turpilian. L. 3. §. 2. D. Stellionat. Vide etiam L. 41. D. de poenis.

d) Vid. L. 68. D. de Verb. Oblig. L. 90. D. §. ult. l. eod.

id, aut omisit, in quod, si admissum aut omissum ab ipso sit, consentu suo poenam constituit.

§. XIII.
TRANSITVR AD EA, QVAE CONTRA WOLFFIVM
MONENDA VIDENTVR.

Quae quum ita a nobis disputata sint, putamus nos officio nostro, quantum quidem in nobis situm fuit, satisfecisse. Nam quae amplius de imputatione quaeruntur, sunt quidem & multa & maxime digna vltiore disquisitione, quo spectant etiam de culpa & dolo quaestiones, quas differimus in aliud tempus, sed haec omnia disputari debent ex ipsa imputationis notione, notionem autem non formare videntur, quam vnice eruere nobis hoc tempore proposuimus. Sed vnum forte superest, hoc scilicet, vt disputemus contra hos, qui contra sentiunt. Nam solet hic esse philosophorum mos, vt explicatis iis, quae ipsi sentiunt, & quae pro veris habent, multa disputent aduersus dissentientes, infestisque quasi armis arreptis acriter pugnent contra aduersarios, vt interdum quae pro falsis habent latius perfequantur, quam quae vera esse iudicant. Sed insigniter laetor, me in tali quaestione versari, in qua qui contra sentiat, vt puto, habeo neminem. In iis enim, quae de ipsa imputationis notione diximus, de qua vnice hoc loco quaerimus, omnes consentire certe existimo. Quare nec recedam ab hoc aequabili & temperato genere orationis, quod multum antecellere mihi videtur, illud contentiosum dicendi genus, a quo me alienum esse confiteor. Vnum autem, quod meum duco, hoc puto esse, vt, quum communi WOLFFII definitione relicta, aliam viam elegerim ad euoluendam eruendamque imputationis notionem, hoc tantum indice digito commonstrem, in quo ab eo recesserim, aut potius, quid in notione hac eruta paullo curatius expressisse mihi videar. Nam dum in vna notione

euoluenda plures versantur, addidere facillime potest, vt cogitando omnes consentiant licet verbis dissentire videantur. Sed quid praeslitum hac in re a nobis sit, alii videant, nos tantum, quid intersit inter vtramque, WOLFFII scilicet & nostram, definitionem breuiter commonstremus. Qua quidem ipsa in re, licet quae dicta a nobis sunt, nostra faciamus, tamen non ea nobis, quasi a nobismet ipsis inuenta tribuimus. Nam si recta ea sunt & vera, quae disputauimus, non tanta trahimur laudis ac gloriae cupidine, vt quae nostra non sunt, nobis arrogare velimus, quasi alios laude sua spoliantes, si falsa sunt ac reprobanda, dulce mihi videtur, errasse cum viris qui doctrinae & eruditionis laude sunt celebratissimi. Sunt autem sane, quos honoris causa nomino, Consul-tissimi & Excellentissimi BECMANNI FRATRES, quos primos mihi hanc viam ad imputationis notionem eruendam monstrasse ingenue confiteor. Qua iam incedens via, si quaedam & studio meo consequutus sum, haec licet exigua sint, laetor certe, me aliquid contulisse ad exponenda haec, quae videntur esse grauissima. Hisce vero *Viris Clarissimis*, Praeceptoribus meis, Fautoribus, si qui sunt, certissimis, & amicitia, & studiis, & patria mihi coniunctissimis, carissimis mihi dulcissimisque nominibus, hac data occasione non possum, quin publice me ita deuinctum profitear, vt per omnem vitam nil magis curae mihi possit cordique esse, quam vt, quod pulcrum mihi duco, Tantorum Virorum discipuli nomine non plane sim indignus, talemque me praestem, in qualem tot beneficia, tantasque operas collocasse Eos nunquam poeniteat.

§. XIII. *QVAE MONENDA VIDENTVR CIRCA LIBERTATEM IN DEFINITIONE WOLFFII.*

Sed reuertamur a pietatis officio praestito, ad id quod dicendo persequendum nobis sumus. *Qua in*
re

re vt facillime quisque possit mentem nostram perspicere, breuitati enim vt in omni disputatione nostra, ita hoc maxime in loco studemus, placet Celeberrimi WOLFFII definitionem integram exscribere. *Imputatio autem, inquit, a) actionis, siue positivae, siue priuatiuae, dicitur iudicium, quo agens declaratur causa libera eius, quod ex actione ipsius consequitur boni malique vel sibi vel aliis.* Quae contra hanc definitionem monenda nobis videntur, reuocamus ad duo potissimum momenta, in quae distincta erit oratio nostra. Primum quidem de causa libera, quam WOLFFIUS nominat differamus, dein & hoc persequamur, quod id tantum, quod ex actione consequitur, velit imputari posse. In primo autem loco causam liberam actionis primum videamus, qualem WOLFFIUS dicat, dein an haec ad imputationem sufficiat, quaeramus. Causam liberam quidem WOLFFIUS ipse definit b) eam, quae libere agit. Sed quid, si amplius quaerimus, quid liberum sit? Reecessisse hic paullulum videtur WOLFFIUS a sua libertatis notione, eamque ampliasse, ita vt in nostra fere transeat castra, quod adparet ex exemplo adiecto c). Nam si principium suum, quod dicit rationis determinantis, sequi voluisset, vereor ne in hoc TULLII incidisset ratiocinium d). *Si omnia fato sunt, omnia sunt causa antecedente, & si appetitus, illa etiam quae appetitum sequuntur, ergo etiam adfensiones, & si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipsi quidem appetitus est in nostra potestate. Quodsi ita, ne illa quidem, quae appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque adfensiones neque actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur, vt nec laudationes iustae sint, nec vituperationes,*

E 3 nes,

a) in *Philos. pract. vniuers. Part. I. c. VI. §. 527.*

b) loco, quae diximus §. 526.

c) In Scholio enim docet, qui non bibit, quum bibere possit

causam liberam esse sitis, ideoque libertatem ita adipit, vt contrarium aequè fieri possit.

d) in Libro de fato c. 17.

nes, nec honores, nec supplicia. Sed sunt haec & ante nos & doctius elegantiusque, quam a nobis fieri potest, disputata e). Quare praetereamus haec, quae fufius disputari debent, & quaeramus hoc, quod erat secundo loco tractandum: sufficiatne haec liberas, etiam si plenissime intelligatur, ad imputationem? Quod quidem negandum videtur pro nostra sententia, nam diximus supra, quod etiam ex definitione nostra adparet, nos praeter libertatem in agente & hoc requirere ad imputationem, ut ne id quod imputari debet, sit plane indifferens. Nam quatenus quid indifferens est, eatenus nullam recipit imputationem, id quod certe neglexit in definitione sua *Perillustri* WOLFFIUS, licet alio loco non ita ab hac re alienus videatur f). Sed caueamus ne iniqui simus in interpretando. Non potuit WOLFFIUS si sibi constare vellent, hoc in definitionem suam adsumere, quum neget plane, dari actiones indifferentes, quod caute etiam monet g). Putat omnem bonitatem & prauitatem actionum esse internam h) (dandum enim est philosopho stili castitatem non curanti, quod *intrinsecam* dicat) quasi actionibus ipsis adhaereat. Sed videtur satis adparere, quod & nos quotidie experientia docemur, dari non modo actiones per se & in abstracto, quod dicunt, indifferentes, quas & ipse WOLFFIUS concedit i), sed etiam in ipsa adplicatione & positis iis temporibus, quibus perfici possunt. Quod nec ipsum credo WOLFFIUM negaturum fuisse, si bonitatem quam diximus & prauitatem physicam curatius a legali distinxisset, quas formas eum etiam in adplicatione confundere satis adpareret ex exemplo, quo docere vult actionem in se indifferen-

e) Vid. CRVSI Disp. de limitibus principii rationis determinantis §. 7-9. in Opusculis Philosophico-Theolog. p. 170 sqq.
f) Vid. *Philos. pract. uniu. l. c.*

§. 502. sqq.

g) in Schol. ad §. 504.

h) l. c. cap. 1. §. 56. sqq.

i) l. c. §. 60. & Schol. adiectum.

rentem in adplicatione ipsa fieri aut bonam aut malam l). Nos vero quum haec paullo curatius distinxerimus, inuenimus esse actiones indifferentes, quae intercedunt inter id, quod lex praecipit, & fieri vetat, constituuntque id, quod licitum diximus, quale etiam esse sine obligatione potest, ex quo manat ius liberum, quod & ipsum negare WOLFFIVS videtur, qui omne ius deriuat ex obligatione m). Has ipsas actiones respectu legum indifferentes, non negamus respectu regularum prudentiae interdum non esse indifferentes, id tantum volumus, nec hoc quidem semper locum inuenire, sed adcidere saepissime etiam, vt, si quaeratur, quid prudentiae sit, quid consilii, dicit non possit, hoc vnice conuenire, hoc semper repugnare, sed possit aliquid esse, quod siue fiat, siue non fiat, neutrum contra regulas prudentiae dici possit.

§. XV.

AN EA TANTVM IMPVTARI DICANTVR, QVAE
EX ACTIONE SEQVVNTVR?

Alterum, quod diximus monendum nobis videri in Wolffiana definitione, est id, quod dicat WOLFFIVS imputationem tantum versari circa ea, quae ex actione quadam sequuntur. Quod quomodo intelligi velit, ipse explicat, quum ait a): *Quoniam facta tam commissionis quam omissionis homini imputantur propter bona vel mala, quae ex iis consequuntur, siue necessario, siue ex eorum voluntate, qui legem aliis ferre possunt, ideo per inconstantiam loquendi, haec ipsa quoque eidem imputari dicuntur.* Quam in loquendo ambiguitatem, vt postea inquit se definitione sua, vti philosophum decet, sustulisse sibi visus est. Verum enim vero videtur mihi Philosophus

l) Vid. Schol. ad §. 594.

cedente §. 45.

m) Vid. Eins Institut. Iuris Nat.

a) in Phil. pract. vniu. cap. 6. §.

P. I. c. 2. §. 46. vna cum praec-

§27. Schol.

phus inconstantiae & ambiguitati in loquendo tribuere, quod erat rei ipsi magis tribuendum. Nam non modo ea, quae sequuntur ex actione, sed potissimum actio ipsa, modo & libera sit nec indifferens imputari debet. Ratio enim imputationis iuris, de qua loquimur, consistit in eo, quod quid sit aut contra legislatoris voluntatem aut eidem convenienter susceptum. In hoc consistit id, quod bonam aut malam efficit actionem, non in iis, quae ex actione consequuntur. Ideoque furtum aut quodvis delictum in vitium & poenam imputatur, licet vel maxime bonum inde subsecutum sit. Alias enim dicendum esset, actionem, ex qua id non consequitur, quod agens intendit, imputari non posse, si fortuito intercepta esset, quale in conatu, quem dicunt Icti, obtinet, actionemque quae contra leges est, per bona, quae ex ea consequuntur, fieri bonam posse, & quae huius generis sunt plurima. Sed videtur WOLFFIUM ad haec adferenda induxisse boni malique moralis & physici neglecta distinctio b) a qua sane multa proficiuntur in omni morum doctrina non satis curate, interdum falso disputata. Confunduntur enim prudentiae & virtutis, vitii stultitiaeque limites c).

In

b) Non quidem me fugit, celeberrimum WOLFFIUM in *Philos. pract. univ. P. I. c. 2. §. 244.* definire & recte quidem, quid sit moraliter bonum & malum, sed licet malum physicum etiam definiat in *Theol. nat. P. I. §. 373.* hoc tamen non satis curate factum esse videtur. Certe illud malum & bonum physicum, quod nos supra diximus, plane negligit. Quod probe notandum est ob verborum identitatem, ne iniqui esse videa-

mur, quum tamen ab omni partium studio quam maxime alieni simus. Adeoque quam WOLFFIUS euitasse sibi vitus est confusionem, de qua loquitur in *Philos. pract. univ. P. I. c. 3. §. 285.* in *Schol. p. m. 224.* eam alio modo non satis vitasse videtur.

c) Quod egregie docent *Viri Consultissimi & Excellentissimi BECMANNI* mei in *Programmate, von den wahren Quellen des Rechts der Natur.*

In hoc autem imputationis genere, quod spectat ad regulas prudentiae, secundum quas bonum & malum physicum metimur, respiciendum est ad id potissimum, quod ex actione consequitur, quatenus in hac imputatione quaeritur, utrum quis id quod intendit consequutus sit, an minus. Sed si haec ad iuris imputationem referuntur, multi inde errores oriuntur. Est enim longe alia ratio haec, qua id imputatur, quod ex actione quadam consequitur, quam ea, qua ipsa actio imputatur. In illa quaestione veniunt multa curatius distinguenda, quae in iure nostro sunt sane maximi ponderis. Ibi enim distinguendum est, utrum quid necessario, an fortuito tantum sit ex actione aliqua ortum, ubi venit etiam de directa & indirecta voluntate & intentione subtilis admodum disputatio, quae maximi tamen est in iure nostro momenti. Sed hac in re quodammodo deinceps WOLFFIUS semetipsum correxisse videtur d).

§. XVI.

DE IMPVTATIONVM FORMIS SECVNDVM WOLFFIVM.

Haec quidem in genere contra WOLFFIVM monuisse sufficiant, quae si luberet latius persequi, essent in promptu sane multa, quibus vberius haec possent exponi, sed est mihi tempori, cuius premor summa penuria, parcendum, ut magis, quae omitti non possunt, quam quae addi possunt, curanda mihi videantur. Hoc tamen quasi praetereundo obseruabimus, quod WOLFFIUS qui-

d) Nam in *Institut. Iur. Nat. P. I.*
c. 1. §. 3. Imputationem ait
esse iudicium, quo causa libe-

ra declaratur agens actionis
suae vel eius quod ex ea con-
sequitur siue boni siue mali.

F

quidem pro sua definitione duas faciat imputationis partes in bonum & malum, sed distinctionem illam in imputationem virtutis & vitii, quae tamen maxime nobis notanda venit & in morum doctrina, & in iure nostro, omnino omiserit, id quod neglecta boni & mali in physico & morale diuisione aliter addere non poterat. Sed quod ad imputationem in poenam & praemium, non plane nobis satisfacere videtur demonstratio WOLFFIANA a) quae eo redundat, quod poena & praemium sint consecutaria actionum, quum vero ea quae ex actione sequuntur imputari debeant, actiones etiam quod ad poenas & praemia imputandas esse. Sed ex iis, quae praefruxit WOLFFIVS, sequeretur poenas ipsas & praemia ipsa imputanda esse. Ita enim ratiocinandum erat. Quidquid ex actione sequitur, id imputatur, Ideoque, quum poena & praemia sequantur ex actione, & haec imputanda sunt. Sed poenae & praemia ipsa imputari dici non possunt, bene vero actiones quod ad poenas & praemia, id est ad hunc effectum, ut poenae & praemia eas sequantur. Quod si vero hoc ex iis, quae praefruxit WOLFFIVS colligere vellemus, addideret, ut quatuor termini fierent in ratiocinio, quod tamen repugnaret dialecticorum praeceptis de ratiocinandi modo. Sed ortus videtur hic error, ex eo, quod WOLFFIVS confundit imputationem actionis ipsius & eius quod ex actione consequitur. Quare factum est, ut omnino veram imputationis in poenam naturam non tetigerit.

§. XVII.

QUAEDAM COROLLARIA EX NOSTRA DEFINITIONE
DEDVCVNTVR.

Sed nolumus vltcrius progredi in his, quae contra magnum

a) Vid. *Philos. pract. vniu. P. I. c. 6. §. 646. sq.*

gni nominis celebratissimaeque famae philosophum monuimus, ne reprehendendi studio & sectandi nos trahi, aut velle, quod abominamur, tanti viri gloriae quidquam detrachere, vllō modo videamur. Proprio enim studio, propriaque arte si laudem consequi non possumus, hoc, quidquid est gloriolae, esse autem nihil putamus, quod dirutae famae celebratissimorum virorum superstruere non nulli contendunt, aliis quam lubentissime concedimus. Neque enim, si quis aequus erit mentis nostrae interpret, superbiae & arrogantiae haec, quae monuimus, nobis tribuere poterit, quum facilius sit, via iam facta in eadem incedere, & quae obflare videntur impedimenta, remouere, quam in loco, tenebris plane obruto & tecto inter spinas & saxa viam quasi planam conficere, vt taceam hoc, quod sint quidam errores, vt mihi videtur, ita comparati, vt non possint nisi in homines acutissimi ingenii cadere, in quibus hoc ipsum, quod ita errarint, est quasi & acuminis & eruditionis certissimum argumentum. Quare quae monuimus, vtrum bene sint recteque monita, aliorum sit iudicium, nos vero hoc pulcrum maxime nobis ducimus, si quisque perspiciat, nos voluisse ita in hac re versari, vt nec obseruantiam viris bene de republica litteraria meritis debitam, nec modestiam laedere videremur. Quod si & factum a nobis praestitumque boni iudicabunt, hoc praemium nobis, hoc dulce lenimen habebimus. Sed vt ne disputatio nostra in contentionibus finiatur, redeuntēs quasi ad viam a qua paullulum digressi sumus, pergamus ex iis, quae disputauimus, quaedam coronidis loco adiicere, quae ex ipsis iis, quae in principio posita a nobis sunt, deducuntur, mentemque nostram forte clarius declarant. Sunt enim multa de imputatione axiomata, quae vera esse certaue nemo facile negabit, sed quae, si probari & ex imputationis notione deduci debent, nonnunquam videntur habere quid difficulta-

cultatis. Quorum quum putamus rationem reddi posse ex his, quae disputauimus, ea tantum subiungere placet, sine omni vltiore disquisitione. Primum enim intelligitur ex eo, quod omnis imputatio requirat in agente, cui actio imputari debet, libertatem, quare fiat, vt nemini imputemus, id, quod plane non a libera eius voluntate pender, licet vel maxime hoc alias in se bonum aut malum iudicemus. Nam bonum & malum morale vim suam atque naturam proprie adcipit ex intentione eius, a quo suscipitur. Sed quod libere non suscipitur, in id nulla cadit agentis libera intentio, ex qua susceptum esse dici possit. Dein quum in imputatione morali requiratur, vt quod imputari debet, referri possit ad perfectiones aut imperfectiones morales eius, cui imputatur, ex hoc perspicitur, quare fiat, vt nemini imputemus, quod quidem a libertate eius pender, sed tanquam plane indifferens consideratur, adeoque non in censum perfectionum & imperfectionum moralium ipsius venit. Porro, quum dixerimus omne bonum & malum metiendum esse ex intentione agentis, intelligitur, ad imputationem boni moralis non modo requiri, vt quis bonum quid suscipiat, sed & hoc ipsum, vt ideo suscipiat, quia bonum est. Ex qua re ratio reddi potest, quare fiat, vt nemini laudi ac virtuti tribuamus, quod a libera voluntate eius dependet, & in se omnino bonum atque egregium est, quatenus hoc non itidem moralem agentis perfectionem innuere iudicamus, dum illud non eam ob causam fecit, quia bonum & egregium iudicaret, sed v. c. ex ignorantia, errore, mala mente. Ex quo ipso fundamento & quartum perspicitur, quod hoc est. Nemini vitio vertimus, quod in se malum quidem est, quatenus hoc non similiter moralem eius imperfectionem innuere arbitramur. Quo spectat hoc, si quis iure suo vsus, licita actione concurrat ad delictum alterius. Denique & hoc

hoc notandum est, quod vitio quidem alicui id mali ver-
tamus, quod ex ignorantia vel errore, quem vincere po-
terat, perpetravit, quum tamen nemo vnquam futurus
sit, qui quod bonum ab altero gestum est, id laudi ipsi
ducendum existimet, si id similiter ex ignorantia & erro-
re, non vero consilio fecerit, licet vtrumque, scilicet tam
bonum hoc, quam illud malum, sit a libera eius voluntate
profectum. Nam si quis scelus committit, quod igno-
rat legibus repugnare, quum tamen scire potuisset, hoc
ipsum, quod nesciat, ipsi imputatur, quum & liberum
hoc sit, & omnino imperfectionem moralem ipsius con-
stituatur. Bonum vero, quod quis agit, id respectu ipsius
bonum non est, seu perfectionem moralem plane non in-
nuit, nisi hoc ipsum quod bonum sit, ad agendum eum
impellat. Quae quidem omnia ex nostris perspiciuntur,
& possent, si opus esset, latius ex iisdem deduci, pluri-
misque exemplis illustrari.

§. XVIII.

CONCLUSIO.

Sed filum meditationum abruptam, nec ulterius
procedam, quam permittit instituti & temporum ratio.
Quare hic persistam, sufficiantque haec, quibus scriben-
di officio, si non plene satisfecerim, volui certe, quan-
tum in me fuit, illud explere, licet satis sciam, quantum ab-
sit, quin campum illum, quem ingressus sum, plane per-
agrauerim. Sed nec id quidem in mente fuit. Caete-
rum si quae nondum curate satis, aut minus polite &
elegantem a nobis disputata sunt, iis veniam peto, quam
& aetas mea, & ipsum disputationis meae argumentum,
& temporum, quibus iam circumscriptus sum, ratio ex-
igere atque efflagitare videntur. Quodsi vero qua in re
errauerim, qui errores me docebit, is, qui eum sequat-

tur me neminem habebit faciliorem. Vos vero ALMAE huius IULIAE CAROLINAE, PATRES CONSCRIPTI, quorum omnium in me voluntatem praedico, & vos inprimis, qui estis INCLVTO PHILOSOPHORVM ORDINI adscripti, quibus gratias iam ago publice, quas possum maximas, pro fauore eo, quo me amplexi estis, meque summis in VESTRA arte honoribus ante aliquot dies exornauistis, vos, inquam, habetis hoc quaecunque studiorum meorum in hac disciplina specimen, quod VOBIS sacrum & dicatum esse volo, munus quidem, meae sententia leuiusculum, sed perinde erit, vt adceperitis, adcipiatis vero illud velim tanquam grati animi piacque mentis tesseram.



QVAE.

QVAESTIONES CONTROVERSÆ

EX

VARIIS ARTIBVS, QVÆ SOLENT AD PHILOSOPHI-
CAM CLASSEM IN ACADEMIIS REFERRI,
DESVMTÆ.

I.

Minus recte definiunt cognitionem symbolicam per eam, qua quid per
verba cogitatur.

II.

Spatii notio vera non consistit in coexistentia plurium simultaneorum.

III.

Theophilus, qui paraphrasin scripsit, in Institutiones, idem est cum
eo, qui eas cum aliis compilavit.

IIII.

Ius Emoris, etiam secundum Ius Naturæ, vincit ius locatoris, qua
tale, intuitu eiusdem rei, quatenus emtor non ipse loca-
verit.

V.

Leges mosaïcæ Lev. XVIII. de prohibitis nuptiis, loquuntur de gradi-
bus, nec restringendæ sunt ad personas nominatas.

VI.

Iustinianus imperator non fuit ἀνατολίαντος.

VII.

In Nov. 117. c. 1. textus graeci verbum domus minus recte in versi-
one, quam dicunt, authentica translatum est per verbum:
disponere:

VIII.

L. pen. 5. C. Finium regund. non loquitur de praescriptione iuridica,
qua ius alterius extinguitur, sed de tollenda praescriptione,
seu lege, quæ constituit iter limitare.

VIIII.

Interusurium computari debet secundum regulas algebraicas quæ do-
cent computationem infinitorum.

X.

Naturæ convenienter constituit Iustinianus terminum graviditatis a
quo brevissimum 180. dierum, terminum ad quem remotissi-
mum 300. dierum.



QUESTIONES CONTRAVERSAS

VARIIS ARTIBUS, QUAE MOVENT AD PRAELECTIONEM
CAN. CASSIANI IN ACADEMIA BAVARICA
PRAELECTI

I. De ...
II. De ...

III. De ...
IV. De ...

V. De ...
VI. De ...

VII. De ...
VIII. De ...

IX. De ...
X. De ...

XI. De ...
XII. De ...

XIII. De ...
XIV. De ...

XV. De ...
XVI. De ...



ULB Halle
003 742 423

3




f

TA → OL

nur 13 Stück verknüpft





1761, 3
~~100~~
3/

SPECIMEN IVRIS NATVRAE

EXHIBENS

GENVINAM

IMPVTATIONIS NOTIONEM

QVOD

INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PRAESES

ADOLPHVS FRIDERICVS
TRENDELENBVRG

PHILOS. MAG. ET IVR. VTR. DOCT.

IN IVLEO MAIORI

PVBLCIE DEFENDET

RESPONDENTE

IOACHIMO ALBERTO BAY

HOLSATO LL. C.

A. D. XIII. APRIL. A. O. R. c1c1ccclxi.

HELMSTADII

LITTERIS DRIMBORNIANIS.